

Vita S. Iohannis Confessoris

[Page 46]

2. Incipit vita sancti Iohannis cumfesoris archiepiscopus Ravennatis ecclesie. Feliciter incipit.
Gloriosus igitur Domini confesor Iohannes, multorum sinceritatis testificatione Ravenatis metropolitane ecclesie infula decoratus, ita admirabilis celestis vite puritate atque virtutum magnifica operatione frequentique angelica visione dignoscitur floruisse, ut ab indigenis prescripte ipsius urbis sibique adiacentis regionis meruit vocari[Page 47]

Iohannes qui vidit angelum, novo cognomine. Talibus ergo dum poleret virtutibus, miraculorum signis operator habebatur mirificus, mos nanque Ravennatibus inoleverat ipsiusque beati Iohannis temporibus incuncusus vigebat, quod videlicet omnes pueri illius regionis in ipso anno baptizati, in solenpnitate beati Vitalis martiris Ravenne, ad matrem ecclesiam in honore eiusdem martiris consecratam deferebantur, pontificique sacro crismate confirmandi offerebantur. Quodam vero tempore, cum innumera populi multitudo solito more illuc parvulos suos ad hoc detulisset, atque nimium depresata plebis frequentia ita episcopum parvulos cumsecrantem circumvalaret, ut vix ad eum nisi (in) pro rima initendo quilibet accederet, quedam vidua paupercula, que filium cum aliis ad consignandum sacra untione propriis brachiis advexerat, videns quod tante multitudini se immergere atque ad episcopum apropinquare nequiret, a turba paululum secessit ad hospiciumque suum regrediens. Mox, illa recedente frequentia, ad ipsam ecclesiam statim sperabat reverti et quod querebat sine impedimento adipisci. Sed omnibus rite peractis atque pontifice cum suis regresso ad curam proprie habitationis, simulque ecclesie foribus pro consuetudine[Page 48]

clausis, memorata muliercula, dolens se sua spe fraudari, cum suo filio propriis brachiis amplexato episcopum usque ad curiam prosequitur sed, ab hostiario repulsa, non intromittitur. Illa vero licet suo sepe desiderio frustrata, ad curiales tamen fores dum residendo studiosa expectaret si forte pontifici foras egredienti filium suum ad cunsagrandum sacro oleo offerre valeret, ipse puerulus inter materna brachia ultimum vite spiritum exalavit: fuerat enim nimia plebis oppresione anxius. Quod miseram se clamans mater ut vidit, flebilis miserandi gemitus voces sic lamentando in excelso emittit: « Quis michi misere sufficiet gemitus? Circumvalat enim me inremediabilis dolor, extreme paupertatis et amisionis filii geminata afflictio. Quid fili de te faciam, cum nec habeam quod pro tui corpusculi tumulatione tradere debeam? ». Illa ergo talia luctuossa voce proclamante, pius pontifex sanctissimus Iohannes percumtatur quenam esset que tam insuliti meroris querulas sic lacrimabiliter proderet. Cui cum responderetur cuncta ei per ordinem referendo qualiter predicta muliercula filium suum incolumem ad cumfirmandum sacro oleo ad illum advexisset, sed paulo ante incurentis populi opresione pernimum afflictum, etiam dum adhuc prestolaretur eius egressum, inter materna brachia defunctum doleret, intimo cordis dolore tactus, sine mora a prandio ad quod cum suis residebat clericis surexit atque pro sui negligentia ipsum puerum esse mortuum cum eiulatu nimio profitendo, ad matrem ipsius pueris cucurit, eiusdemque defuncti corpusculum a matris gremio ablatum secum in cubiculum, quo secrecius orabat, suis brachiis amplexatum portavit. Quod cum humi prostratus prolixius lacrimando orasset, regrediente anima pueri corpusculum contremuit, surgensque ab oratione ipsum puerum vivum et sanum sacroque crismate unctum matri sue restituit ipsamque, immenso gaudio exultantem pro redito sibi filio, cum munere non modico ad propria remisit. In loco vero illius cubiculi postea ecclesiam in honore[Page 49]

sancte Resuretionis construxit, que usque hodie certificatur ab omnibus incolis illius regionis vera esse indicio tanti miraculi. Iam denique pro tam evidentis signi admiratione magis ac magis

sanctitas ab omni populo laudibus extolebatur, maximusque honor reverentie illi a cunctis exhibebatur. Quod cum tanti honoris gravissimum pondus cum insolenti fastu secularium ponderosum divina inspiratione previderet, ut erat mire simplicitatis atque angelice innocentie, toto conaminis studio satagebat quod posset se alleviare a tam periculoso honore atque a secularium vana pompositate sui presentia declinare uti, semotus a mundi huius momentanea ac umbrate dignitatis imaginatione, Deo secutus cui iam in mente inherebat, sedula studiositate valeret totis nisibus animo et corpore militare. Hec itaque sepius revolvens in mentis anhelitus secreto, tandem miseranti[s] Dei fretus sacri spiraminis consilio, omni postposita qua videbatur insigniri honoris specie deliberavit secedere clanchulo a proprie habitationis mundana dignitate, vernantis loco. Relictis denique tocus mundialis glorie decoloramentis, perlustratis diversarum regionum secrecioribus heremis ac montium cacuminum deviis anfractibus peragratiss, si quem inveniret locum heremite vite congruum officinis,[Page 50]

ad extremum nostris partibus Alpibus contiguis divina direcone aporpinquavit, ubi ipse Alpes, utrobique binorum montium ab incolis eorum denominatorum silicet Pirchuniane et Caprasii cornibus suorum cacuminum expansis, medie valis Secusie planiciis ab eisdem celsioribus Alpibus pasuum milibus porectis usque ad vicum Clusam vocitatum, ad radicem unius. horum montium videlicet Pi[r]chunianum situm Ausoniis finibus metam determinavit. In supremo siquidem unius istorum, Caprasii pretitulati ad arcton vergentis cacumine, vir sanctissimus Iohannes ascendens per avios anfractus initendo, locum densitate silvarum secretum atque ab humana frequentatione sui fastigii difficultate admodum semotum sibi ellegit ad habitandum solitario preoptimum domicilio. Qui ibidem quoque nimia parsimonie austeritate corpus edomando asidui[s]que vigiliis in Dei laudibus pernotando, seniles artos suos quos adhuc in episcopali dignitate degendo, ut honoris et patrie reverentia exigebat, delicato aliquanto edulio nutrierat, nunc quasi diversis tormentorum generibus exundantis estus et aloris varietate sitis, quoque et famis humanum modum superantis maceracione attenuabat. Tocus itaque divini flaminis neumate inflamatus celestibus inhiabat et omnibus, si qui ad eum gratia viscendi[Page 51]

veniebant, quicquid bonitatis helimosine et divini pabuli benigno ore poterat in supeditando, insuper largitatis modum sue possibilita[t]is excedendo visceribus misericordie afluebat. Multimodis denique carnalium voluptatum fomentis conflictu varii luctaminis suam carnem pernimum affligentium superatis, humani generis antiquus hostis considerans fortissimum agonistam sumi regis nullo modo (prevalere vel) devinci, sugestione sue invisibilis imaginationis transformavit se, versute caliditatis ingenio, in discoloritatis varie deceptionis monstro, insuperabili Dei servo quasi inevitabilis s[u]e malignitatis laqueos moliendo, in mulierum siquidem ille admodum eleganti forma sub obtentu religionis per ipsam heremi vastitatem errantium viri Dei conspectibus importunum sese ingessit, ut, quia erat nimie caritatis et misericordie, quasi sub annuentis noctis articulo secum ipsas reciperet in hospicio. Sed vir Deo plenus, exhibito primum solito caritatis munere, tandem celesti respectus inspiracione, signo crucis impresso, versucias respuit nephande milicie. Simili modo in specie peregrinorum persepe inquirebat offendere servi Dei vultum, quod ipse, uti fortis miles Christi crebro tentationis iaculo valde exprobratus, iam non solum ignaviter percavebat quin etiam futuros inimice iaculationis asultus prophetico spiritu presciebat. Cum ergo tante sanctitatis dignitate de virtute in virtutem sublimaretur, in miraculorum exhi[b]itione honorabilis si dici potest qua in episcopatu. adhuc degendo laudabilis habebatur, et qui se humanis visibus indefesso ardore divine contemplationis abstraxerat, dulciflua angelorum visitatione frequentabatur emissoque[Page 52]

celici ignis globo supra memoratum Pirchinianum montem contra se, nudi scopuli virtute pene usque ad nubes elevatum, sepsime ipsum quasi comburere auspicio inibi future sanctitatis contemplabatur. Quam admirationis maxime claritatem dum secum miraretur, videlicet flamma[m] a summo ipsius montis fastigio usque ad celum extensam ardere et penitus nulla saltus circumsistentis ligna comburere, princeps celestis militie archangelus Dei Michael noctu astitit, ci dicens in visione: « Cur electus Dei theorie intendis, sine sufragio pratice exercitationis? Surge citissime

et domum orationis michi dignanter construe » Qua subito imperiosa visione vir Dei permotus, utpote qui ab ineunte etate vitam manualis exercitii expertem usque ad senium deduxerat, simulque viribus proprii corporis iam pene exhaustus, insolitum tanti ponderis opus arripere nequaquam sue validudinis existere anuria mente pertractans, bina atque trina vice sanctissimi gloriosi arcangeli allocutione relevatur; cuius cibi celica iussa agredienti adminiculo afore promiso animatus, in loco sibi ad ipso celesti nuncio presignato ethereis civibus templum hedificat. Cuius edificationis ordinem, vel cum quanta sanctitatis excelentia a sepe dicto principe angelorum arcangelo Michaeli sit consecratum, celesti carismatum[Page 53]

facetoque sermone. in eiusdem tenpli narationis hedificationis atque postea inchoationis ibidem cenobialis religionis libelo penes nos descripta habemus, domni reverentissimi pape Nicolai autentica iusione dictato eiusque serenissimo titulo autorizzato. Hedificato itaque primitus templo, vir Dei beatus Iohannes theorie intentus solito patrocinio arcangeli, excellenti virtutum ostensione . iam ibidem declarata indefessus ieiuniis et orationibus suppliciter deplorans, aliquanto vero tempore in eodem est demoratus. Processu vero temporum, cum res tante admirationis per affines circumquaque eiusdem regionis divulgaretur, cunctiguit quosdam Romam adventantes a liminibus apostolorum Petri et Pauli, ut supra memoratus liber relationis eiusdem loci inceptionis refert, ad[Page 54]

ipsam ecclesiolam gratia expetendi suffragio arcangeli ascendisse, qua in supremo ipsius mortis Pirchuniani sita culmine transeuntibus per publicum calem videbatur indicium specole. Qui venientes difficultate ipsius mortis as[c]ensus variis anfractibus intercepti pernitium fessi, sitisque ardore periclitantes, a beato Iohanne sibi expectunt impartiri aliquod remedium extinguens sitim. Sed vir Dei nichil liquoris[s], vini aut laticis, ibidem risi in ampula misali parvisima parum meri contineri illis referendo, solita pietate motus preces cum lacrimis fudit et, arcangeli benignissima patrocinio flagitando, ex modico ampule illius mero simplici misarum immolationi pene sufficienti sed divina virtute, ab ipso digna precum instantia exorata, mira largitale superhabundanti omnes recreatos, adhuc vasculo plus medio liquore remanente replecto quod antea inventum fuerat fundo vix supertincto, ad propria remisit alacres pro tam digno beneficio. Tali itaque virtutum insignia dum per affinium populos de die in diem crebescerent, et catervatim Italice plebes archangeli beneficia *ad vere Domini mortem et ad domum Dei Iacob* persepe illic expetere properarent, iam ordinato in illo rape memorato tempio cenobiali monachorum convento a quodam christianissimo spectabilis dignitatis viro apostolico iussu, sicut in persepe dicto loci ipsius constructionis libelo fertur; vir Domini sanctissimus Iohannes conventiculam affluentium populorum[Page 55]

evitando propositoque heremite vite artius inherere perorando, ad montem videlicet primum sue habitationis solitarium domicilium repedavit, ibique inextimabili divini ardoris studio plus solito insudavit. Ecclesia vero sancte Dei genetricis Marie ibi ab ipso, stabilita atque hedificata, indefesse ieiuniis vigiliisque intentus, contemplationi asidue, orationi semper vacabat rarissime ab ipsa ecclesia recedendo, fatiscencesque artus impasibili alicui fortissimo iuventute florenti exercicio frugalitatis et vigiliarum decoquendo. Celesti tamen privilegio patenti signorum indicio insignitum, in honore et nomine gloriosi archangeli Michaelis consecratum quod incola talis coli[s] in quo residebat montis vertice reliquerat templum ita indocibilis ardoris amore complectebatur, fratrum que illi[c] sincere Deo militantium caritatis studio condelectabatur, ut sepenumero non alicuius sonipedis sitibundo bone voluntatis contentus solatio, perfacile difficiles binorum montium ascensus vel descensus cumfrequentaret orationem, fratrumque refocillatus sancta dilectione ad propria solitarie habitationis devitato octio propere remearet. Et quo ferventiori desiderio meliflue sue mentis, oculos incesanti lacrimarum infusione irigando, se Dei servicio mancipabat tanto in amore, nequissimi hostis temptatio in monstruoso diversorum animalium portento murum scilicet vel ranarum ipsum persequeretur imperteritum. Cernebat enim vero illum spiritum astricularum obsequio attentius insistere cum quibus conflictum sibi et omnibus suis exiciale perhenniter detrimentum ab initio dignoscitur habuisse, ideoque illi vehemencius machinabatur insidias sue malignitatis pretendere. Miraculorum quoque insignia quam plurima per illum ostendebantur, quorum

multa ab incolis ipsius declivii montis sepedicti Caprasii usque hodie referuntur. Dicitur namque monasterium sancti Salvatoris martiris[Page 56]

alias Salutaris sociorumque eius aput Thaurinium restruxisse, sicuti adhuc ipsius monasterii monachi referunt et de hoc penes se ipsos scripta et memorialle se habere testa[n]tur . Cum ergo tot et tantis lucifluis mirabilium ornamentis sanctissimus Domini confesor Iohannes poleret et clementissimus equissimus remunerator, suum fortissimum athletam, suo indefeso labore de senili agone iam decertato nobiliter triumphantem, gloria et perpetuali honore donare disponderet, cepit estuantius frigore febricitare, et toto nisu mentis ad Deum inhiante spiritum dirigere. Videre[s] singularem heremitam in simplici celula alacri animo ad bravium difundentem, omnino ab humanis destitutum, celesti angelorum solatio delectari more solito ut quibus aulam orationis non auro vel gemmis renitentem, sed divina virtute preditam in terris construxerat, illi cum sociorum agminum tripudio eius sanctissimam animam sumi regis cui toto corde servierat presentarent in celi palatio. Quam a seculo migrantem, ut alterum Paulum eximium anachoretam, humanus oculus ut eius pertemporales et familiares[Page 57]

ferunt dixisse non potuit despicere , miroque modo equissimo Deo in diem actum est ut, quorum conspectibus in sua vita celestium amore se substraxerat, illis in mortis sue transitus cernendus denegaretur et angelorum collegii[s], quorum incesabili ardore extuabat frequentique colloquio et visitatione persepe relevatus fuerat, presente in supremo agone animaretur et spiritus eius, celicis excubiis honorificatus velut virtuosus agoniste, ab ipsis astriculis civibus domino Deo suo gloria et honore perhenni remunerandus assignaretur. Cuius sanctum corpus in eadem ecclesia gloriose Dei genitricis semperque virginis Marie, quam contruxerat et in qua ieiuniis et cuntinuis vigiliis usque ad mortem perseverando .xi. kalendas Decembris in Domino obdormivit , honorifice est humatum. Paucis quoque evolutis annorum curiculis, inefabili Domini pietate dignante servum suum cuius esse meriti revelare, pluribus miraculis glorificatus [est]. Nam, quicumque vario febrium detinebatur aut alia corporis molestia affligebatur, mox ut sacrum eius sepulcrum plena fide visitabat, meritis ipsius sancti confessoris Iohannis archipresulis vicina sanitate reddita omnique langorum tedio ablato letus exultans ad propria remeabat. Quibus visis miraculorum signis, abbas Clusini cenobii supra memorati sancti Michaelis arcangeli, congregato venerabili eiusdem monasteri[Page 58]

corporis ipsius sancti Iohannis reliquie, a tumulo proprio elevate super altare sancte Dei genitricis semper virginis Marie ante quod tumulatum fuerat, reponi debeant. Deinde directis ab ipso abbate nonnullis illius venerandi cenobii fratribus ad iam dictam sancte Marie ecclesiam, in montis econtra ad arctom vergentis culmine sitam, corpus a sepulcro digna cum reverentia substolitur, et feretro recunditum hymnis laudum iubilationibus super prenotatum altare reponitur.

Hiis diffinitis licet aut pulvere redimitis. eximie vite digni titulis heremite, presulis insignis nec non et decoris bene signis, sic iuvaretur delactio corporis eius et que sunt gesta miracula iam manifesta eius per merita cuncto populo veneranda huic assignentur laudique sue reccitentur. Amen.